L. B. S.

Vivitur nunc illis temporibus, qvæ ſunt forte extrema tempora mundi, qvibus neque gloria in virtute, neque honos in honeſto atque decoro, neque ſummum bonum in religione atque fide qværuntur; ſed in voluptatibus, in epulis et potationibus in aleis atqve ludis ſumma mortalium delectatio ſita eſt. Olim pro patria, pro libertate, pro liberis et uxoribus, pro aris et focis pugnatum eſt; et erant quondam tempora patriæ noſtræ glorioſa, qvibus omnium civium unus erat animus, unus Deus et unus rex: qvum honeſtum erat atque jucundum pro patria mori, pro religione atque fide crudelisſimam ſubire mortem. Nunc autem, heu! quanta mutatio morum, quanta degeneratio hominum intra aliquot ſæcula facta eſt: non armis ſed fuſtibus et pugnis per plateas; non verbis, ſed conviciis et detrectationibus pugnatur. Pro libertate licentia, pro virtute audacia, pro modeſtia arrogantia, pro temperantia immoderata rerum novarum cupido omnium mortalium invaſit animos. Omnes imperare, panci obtemperare volunt. Tumultuantur gentes et grasſantur populi adverſus reges legitimaque imperia. Jam turbas dare, acieque inſtructa minitari cæpit mobile vulgus reipublicæ ruinam.

Religionis ſanctisſimæ fundamenta demoliri cæperunt illi, qui non ſuis contenti alienas opes captant,